

11+12/83

KALENDIS DECEMBRIBVS

MCMLXXXIII



RVMOR VARIVS



TOMUS 6

FASC. 44

praestetis non modo legentes, sed etiam ratis partibus a vobis compositis eum augentes. Ita efficietis, ut libellus noster et in posterum manebit, qualis esse ei est propositum: Forum vel scaena, quā sua quisque operā Latinā cuicumque Latinitatem amanti ubique terrarum habitantique iucundi aliquid praebeat. Valete!

Udalricus Aeschlimann



Quis nobis fabulam facetissimam lepidissimamque
publicandam mittet ?

De novo certamine inter legentes proposito

Cari legentes

Raro nobis symbolae Rumore Vario publicandae a legentibus collegio redactorum non adscriptis mittuntur. Quid huius rei causa? Parumne adhuc admonebamus, ut vos symbolas Latine compositas publicandas mittatis? An prohibet timor, ne ratae partes aliquos errores vel lapsūs linguae vel grammaticae continentes vobis auctoribus divulgatae dedecori sint, quominus mittatis? Quae si ita sint: Nonne satis notum est ratas partes nobis missas a correctori necessitate data prius quam publicentur corrigi? Iterum memoramus: Mittite nobis opera et opuscula a vobis Latine composita, quae digna esse censeatis ut Rumore Vario publicentur! Libenter enim ea nostro libello imprimemus! Rumor Varius ea mente editur, ut quicumque se auctorem fabulae Latinae praebere velit, habeat forum, habeat scaenam, qua opus suum maiori auditorio notum reddat.

Ut initium scribendi facere vobis facilius sit, hodie certamen novum proponimus, cuius participes licet sint omnes amici Rumoris Varii membris collegii redactorum exclusis.

Hae sunt condiciones certaminis, quae a participantibus observandae sunt:

Prima: Mittite unam solam fabulam brevem, quae de qualibet re faceta lepidaque narret.

Secunda: Fabula Latine narranda est. Licet contineat fortasse errores grammaticae: Qui a correctore necessitate data emendabuntur.

Tertia: Fabula ne contineat plus quam verba CCC, sane licet contineat minus.

Quarta: Res in fabula narrata sit aut phantasia orta aut vera, i.e. secundum experientiam narrata.

Quinta: Fabulam ante Kalendas Apriles MCMLXXXIV mittatis ad Domum editoriam Rumoris Varii, Postfach 883, CH-8050 Zürich.

Sexta: Fabula nobis missa admittetis, ut Rumore Vario divulgatur sive formā missā sive brevior reddita sive, cum necessitas cogat, aliquibus locis emendata.

Septima: Auctores trium fabularum, quae iudicio sociorum operis facetissimae lepidissimaeque esse videbuntur, praemium formā libri vel periódici lepidi accipient.

Ultima: Nomina victorum ex hoc certamine exeuntium Rumore Vario 5+6/84 nuntiabuntur.

Nunc ite, cari legentes, includite vos in clausuram, scribite fabulam! Licet ceterum vos a magistro, ab amicis adiuvari! Denique nobis opera vestra mittite, ut ea publicemus! Fortuna vobis faveat! Valete!

Udalricus Aeschlimann



De re coquinaria

Discipulae meae secundo anno linguam Latinam discentes persaepe de vita moribusque veterum Romanorum audire cupiunt. Nuper rationem edendi apud Romanos tractavimus.

Ego: Heus, puellae, bene attentae este! Hodie cum Romanis edemus.

Isabella: Laeta istud audio, magistra, nam venter vacuus iam mihi crepitat. Esurio, sitio.

Ego: Noli festinare, puella, Romani apparatis epulis hospites excipere solebant. Hac quidem ex parte nihil est periculi.

Sophia: Saepe autem legimus Romanos parvo vixisse.

Ego: Recte dicis, puella, initio Romani modo iis vescebantur, quae agricultura praebebat: pane, caseo, olere, carnibus varii generis, praecipue carne suilla.

Christina: Querceta enim abundabant porcis.

Sybilla: Facile credo. Se quotiens die Romani cibum sumebant?

Ego: Ter. Mane ientaculum, meridie prandium, vesperi cenam sumebant. Mane permulti panem vino intinctum edebant, alii fructus velut uvas palmulasque addebant.

Sabina: Mos panis vino intincti mihi valde placet. Ita lux modo iucundissimo oritur.

Simona: Quomodo Romani prandium sumebant?

Ego: Prandium stantes sumebant. Nec longum nec amplum erat. Persaepe carnibus frigidis fructibusque constabat.

Sonia: Diebus nostris permulti homines meridie stantes magna- que celeritate edunt, more Americano quidem.

Ego: Immo vero more veterum Romanorum.

Alexandra: Cena certe lautior erat. Memoria teneo quasdam imagines convivium sumptuosa oculis proponentes.

Ego: Haud erras. Cena saepe lauta erat. Romani quodam loco cenabant, cui erat nomen "Triclinium". Hospites in limine triclinii calceos exuebant. Non more nostro in triclinio sedebant, sed toris discumbebant. Cubito sinistro nitebantur. In mensis autem erant mappae, cultri,

ligulae, cyathi. Romani furcillis non utebantur, pro furcillis vero manibus. Itaque post singula fercula servi manus convivarum lavare solebant. Cena lauta "duobus mensis" constabat. Promulsis primam mensam antecede- bat, ovis piscibusque sale conditis, ostreis, asparagis, cucumeribus aliisque bonis rebus constabat. Prima mensa carnibus variis velut vitulinis, ovillis, bubulis, suillis composita erat. Anserinae carnes quoque Romanos non mediocriter iuvabant. Iecur anserinum apud veteres iam in deliciis cumprimis habebatur. Tum apponebantur fructus dulciaque, quae secunda mensa vocabatur.

Rona: Vina bona certe non deerant.

Ego: Romani vina plerumque post secundam mensam bibebant, saepe aqua mixta. Vinis rubris et candidis aequae delectabantur.

Francisca: Parvi interest, quem habeat vinum colorem, si sapiat bene.

Ego: Inter vina praeclara erant Falernum Caecubumque. Nonnulla vina quoque importabantur, ut Samium vel Massiliense.

Fina: Contraxi aliquid sitis! Placeret mihi more veterum Romanorum aliquid coquere ac edere.


Ego: Istud haud invita audio. Vir clarus nomine M. Gavius Apicius quosdam libros de re coquinaria scripsit. Per multa Apicii praecepta in linguam Germanicam translata sunt. Est enim libellus, qui inscribitur: Das Kochbuch der Römer: Rezepte aus Apicius (1). Quo ex opusculo magnam utilitatem capere poteritis.

Isabella: Quid cunctamur librum hunc legere? Res bonas coquamus et cutem nostram curabimus.

Ego: Pollicem premam. Sit felix convivium!

(1) Lebendige Antike, Verlag: Artemis

Barbara Maier



Tria carmina natalicia

Christkindelein, Christkindelein...

Volkslied aus dem Elsass

Christkindelein, Christkindelein,
Komm doch zu uns herein.
Wir haben frisch Heubündelein
Und auch ein gutes Gläschen Wein.
Das Bündelein fürs Eselein,
Fürs Kindelein das Gläselein,
Und beten können wir auch,
Und beten können wir auch.

Am Weihnachtsbaume die Lichter brennen....

Volkslied und Volksweise

Am Weihnachtsbaume die Lichter brennen,
Wie glänzt er festlich, lieb und mild,
Als spräch'er:"Wollt in mir erkennen
Getreuer Hoffnung stilles Bild."

Die Kinder stehn mit hellen Blicken,
Es lacht das Aug', es lacht das Herz,
O fröhlich, seliges Entzücken,
Die Alten schauen himmelswärts.


Zwei Engel sind hereingetreten,
Kein Auge hat sie kommen sehn,
Sie gehn zum Weihnachtstisch und beten
Und wenden wieder sich und gehn.

Kein Ohr hat ihren Spruch vernommen,
Unsichtbar jedes Menschen Blick
Sind sie gegangen, wie sie gekommen,
Doch Gottes Segen bleibt zurück!

Christule mi, Christule mi...

Cantus popularis ex Alisatia

Christule mi, Christule mi,
Ad nos, quaesumus, introi.
Fasciculum faeni frigidi
Habemus et vas vini optumi.
Pro asello habemus fasciculum,
Pro puero autem vasculum,
Et precari possumus etiam,
Et precari possumus etiam.



In Christarbore candelae flagrant...

Cantus modulusque popularis Germanicus

In Christarbore candelae flagrant,
Quam splendet ea festa tam,
Quasi haec aiat:"In me cognoscant
Spei quietam statuum."

Infantes vultibus stant claris,
Oculus ridet sincere,
Oh, delectatio laeta et grandis,
Veteres spectant sublime.

Angeli duo introibant,
Clam ei hic ingressi sunt,
Eunt ad mensam atque orant,
Vertuntur atque exeunt.

Heus, aures verbum non perceperunt,
Nullusdum eos vidit, sic.
Sic et ierunt uti venerunt,
Sed Dei votum manet hic!

Versio Latina: AMICUS

Kaschubisches Weihnachtslied

Werner Bergengruen

Wärst du, Kindchen, im Kaschubenlande,
Wärst du, Kindchen, doch bei uns geboren!
Sieh, du hättest nicht auf Heu gelegen,
Wärst auf Daunen weich gebettet worden.

Nimmer wärst du in den Stall gekommen,
Dicht am Ofen stünde warm dein Bettchen,
Der Herr Pfarrer käme selbst gelaufen,
Dich und deine Mutter zu verehren.

Kindchen, wie wir dich gekleidet hätten!
Müsstest eine Schaffellmütze tragen,
Blauen Mantel von kaschubischem Tuche,
Pelzgefüttert und mit Bänderschleifen.

Hätten dir den eignen Gurt gegeben,
Rote Schuhchen für die kleinen Füße,
Fest und blank mit Nägelchen beschlagen!
Kindchen, wie wir dich gekleidet hätten!

Kindchen, wie wir dich gefüttert hätten!
Früh am Morgen weisses Brot mit Honig,
Frische Butter wunderweiches Schmorfleisch,
Mittags Gerstengrütze, gelbe Tunke,

Gänsefleisch und Kuttelfleck mit Ingwer,
Fette Wurst und goldnen Eierkuchen,
Krug um Krug das starke Bier aus Putzig!
Kindchen, wie wir dich gefüttert hätten!

Und wie wir das Herz dir schenken wollten!
Sieh, wir wären alle fromm geworden,
Alle Knie würden sich dir beugen,
Alle Füße Himmelswege gehen.

Niemals würde eine Scheune brennen,
Sonntags nie ein trunkner Schädel bluten, -
Wärst du, Kindchen, im Kaschubenlande,
Wärst du, Kindchen, doch bei uns geboren!

Latine reddere conatus est
Rochus Habitzky

Puer, in Cassubiorum terra,
si in nostra, puer, natus esses!
Ecce, non in feno iacuisses
mollibus in plumis collocatus.

Numquam in ovili ponereris,
ad fornacem lectulus caleret.
Ipse curio approperaret
Te, tuam materculam culturus.

Puer, qualiter Te vestissemus!
Galericulo ovinae pellis,
lanae Pomeranicae amictu
pellibus et fasciis ornato.

Cingulum privatum dedissemus,
calceos pediculis rubellos
nitidos et clavulis firmatos!
Puer, qualiter Te vestissemus!

Puer, qualiter Te cibassemus!
Bene mane similam cum melle,
mollem carnem frictam et butyrum,
prandio polentam, helvum embamma,

Anserinam, zingiber, omasum,
flavum laganum, farcimen pingue,
urceatim ceream Pucensem!
Puer, qualiter Te cibassemus!

Corda Tibi qualia daremus!
Ecce omnes pii facti essemus,
omne genu Tibi flecteretur,
omnes pedes tenderent in caelum.

Numquam horreum incenderetur,
nec cruentaretur crapulatus, -
Puer, in Cassubiorum terra,
si in nostra, puer, natus esses!

Aenigma


QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET
RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA KALEN-
DIS FEBRVARIIS MCMLXXXIV EST!

PRAEMIA SVNT: primum praemium: LIBER
secundum praemium: LIBELLVS
tertium praemium: LIBELLVS

Hoc aenigma magnum composuit Daniel Weissmann

ad libram

- 1 insula magna maris Tyrrheni
- 7 mons in Graecia situs Apollinis
Musarumque sacer (Dat.)
- 9 magnus numerus arborum (Acc.)
- 10 trias alicuius rei
- 13 oratio dulcis auditu
- 16 a poetis componitur
- 17 vehicula ad navigandum apta
- 18 littera Graeca
- 20 insula in oriente maris interni
sita (Gen.)
- 21 sedes regum vel principum
- 23 filia Icari amata a Dionyso deo
- 25 iaculabuntur
- 27 triticum molitum (Dat.pl.)
- 29 bestia domus custodiens (Dat.)
- 31 gens Romana (adiectivum, masc!)
- 33 impetus (Gen.sg.)
- 34 nutriunt
- 35 quo Amor deus sagittas mittit
- 37 instrumentum ad poliendum usitatum
- 38 fallunt
- 40 quid filiae a patre in coniugium detur
- 41 migrat



42 dedicatio in mysteria (sg!)
45 se viro commiserunt ad vitam communem (feminae)
47 caelicolae
48 frater Medae (Gen.)
50 dominas
51 venustate
54 ubi Caesar Augustus vita decesserit
55 freta
57 flumen Galliae Narbonensis a Pyrenaeis saltibus
oriens (Dat.)
58 obscurae vel funestae
59 hominibus noctu quietem affert (Acc.pl.)
62 consilium (Acc.sing.)
63 feminae insulam Graecam habitantes (Acc.)
64 subiit
67 sine tempore (breviter)
68 quacum aliquis colloquitur (Dat.)
71 serpe
72 iussum gubernatoris navis
73 incolae regionis Italiae prope montem flammas
evomentem sitae
74 pronomen demonstrativum
75 (barbam) reseuerant

ad perpendiculum

1 ave
2 laridum
3 Syracusanus propter ensem suspensam clarus (Gen.)
4 pronomen demonstrativum
5 ventus procellas afferens (Acc.)
6 titulum comoediae Plauti poetae
7 sacrificium ad expiandum (Dat.)
8 praeisti
9 incola oppidi, unde in Capreas insulam navigetur (Voc.)
11 bellum renovant
12 quomodo numerus "duo" significetur
13 Socrates ab oraculo Delphico iudicatus est

14 pronomen relativum
15 satura Senecae philosophi, qua Caesari cuidam illudat (Dat.)
16 avis magna Apollinis sacra
19 id spatium, per quod semina rerum cadere Lucretius poeta
dixit (Gen.)
20 ars ornandi aliquid caelaminibus (Acc.pl.)
22 possidite
24 nam
25 effigiem
26 scriptor rerum Romanus (Acc.)
28 contrarium ebrietatis
30 regio Asiae prope Lycaoniam sita (Dat.)
32 appellor
36 nondum publicata
39 tuo modo
43 furor
44 qui polum umeris sustinere dicitur
46 insula Graeca
49 madefacit
52 ad navigationem pertinens (Gen.sg.fem.)
53 acie afficite
56 una earum bestiarum, quae olim Capitolium obsessum clamando
servaverunt
58 atque
60 munimentum cruris
61 perpetuo
62 tali modo
65 artifex litterarum
66 vitium parietis, per quod Pyramus et Thisbe colloquebantur
69 non eadem
70 properabit

Solutiones inventas in illa pagina inscribatis, quam aenigmati servatam in fine libelli invenitis. Illam paginam aenigmate soluto nobis sectam mittatis. Gratias agimus!

Colloquium quasi philosophum

In taberna quadam Turicensi nuper sedebam cenans. Ad proximam mensam duo adulescentes sedebant colloquio immersi. Quorum verba audiebam et hic infra succincte et circiter referam:

A: Silvis nostris, ut dicunt, interitus paratur aëre venenato. Quod pro certo habeo summum periculum esse hominibus omni- que vitae.

B: Timeo, ne ita sit. Atqui undique interitus paratur homini- bus vitaeque omni. Inquinata sunt omnia, aër, terra, ma- riaque. Cibus terra genitus est inquinatus et venenatus. Praeterea bellum instare videtur vi atomica gerendum. Qua- re existimo Hominem Sapientem se ipsum interempturum esse.

A: Noli, quaeso, in maius tollere rem (übertreiben)! Homo Sa- piens non tam cito interibit. Etenim naturā omnibus anima- libus - homo quoque est animal - innatus est instinctus ad vitam conservandam et propagandam. Hominem mundumque omnem saepe iam, iam mille annis ante, interiturum esse vaticinati sunt, et adhuc vivimus. Equidem non dubito pe- riculum tempore nostro instare maius quam umquam antea, at instinctus nobis innatus nos servabit.

B: Considera arma atomica, quae tempore nostro primum parata sunt ad omnia delenda.

A: At tibi dico, ut dixi, instinctum ad vitam servandam esse robustiorem quam arma omnia, quin etiam atomica! Homo Sa- piens, cuius generis nos ambo sumus, nisi fallor, ex erro- re se recipiet invenietque viam novam ad salutem futuram.

B: Utinam sit, ut dicis! Mihi eris magnus Apollo. Ego quoque, quamvis misera sit condicio humana, vivo libenter. At magnopere timeo, ne instet finis nostrum omnium. Interdum mecum animo volvo, nonne demiurgus (Weltschöpfer) nos ter- ramque omnem iam dudum deseruerit atque in alium planetam se contulerit, ubi denuo, ab ovo, conetur consequi, quod in terra cum homine secus ceciderit (misslingen).

A: Oh te philosophum Platone maiorem! Ut conetur? Quid cone- tur? Quidnam eum conari putas?

B: Magna quidem quaeris neque habeo, quod tibi respondeam. Cum Platone me conferre noli! Ignoro, quid demiurgus temptet, quid temptaverit cum homine. At opinari audeo, opinari li- cebit, consilium et propositum eius fuisse ducendi materiam ad statum, ubi sui ipsius esset conscia seque eo ipso libe- raret legibus naturae.

A: Quid dicis? Non intellego.

B: Peto veniam opinandi.

A: Veniam habes.

B: Opinor demiurgum in terra nostra temptavisse omnem materiam ad conscientiam sui ipsius ducere ita, ut caecitate sua li- beraretur legibusque naturae sibique, i.e. demiurgi similis fieret. Homo Sapiens autem in errorem incidit, nimis tri- buens materiae. Itaque demiurgus hominem tandem deseruit se- que in alium quendam planetam cōtulit. Re vera hominem pu- to tempore nostro desertum esse a demiurgo.

A: Putasne? Atqui philosophum illum Germanorum nomine Kant, qui docuit hominem de natura rerum numquam quicquam posse intellegere, non legisse vidēris.

B: Non legi, sed quid ad rem?

A: Quid ad rem? Plurima ad rem, neque miror te verba talia fa- cere. Tune, quippe qui creatus sis, ut ego, natura vel a demiurgo, de consilio naturae sive demiurgi opinari audes? Similiter mihi agere vidēris ut ovum cum gallina litigans. Iudica, quaeso! Nisi natus esses, ne opinari quidem posses. Naturae vel demiurgo debes, quod opinaris, quod loqueris, quod vivis; attamen demiurgi consilium scire vis?

B: Non me scire dico, sed opinari licebit. Quin etiam philoso- phum tuum, Kant illum, ignorare licebit.

A: Concedo. Licet opinari et errare. Ceterum quod demiurgum in alium planetam propter errorem et culpam hominis dicis demi- gravisse, te intērogo, a quo nisi a demiurgo hominem esse putes creatum.

B: A demiurgo nimirum.

A: Ergo hominem creavit ingenuitque ei mentem talem, ut neces- sario erret sibique culpam contrahat. Itane dicis? Culpam esse demiurgi?

B: Plane ita dico, si quidem omnipotentem ponimus demiurgum. Et forsitan nunc demum intellegat in errorem se incidisse

homine creato.

A: Nugas (Unsinn)! Creatura omnis iam multo ante hominem creatum miserrima fuit.

B: Cur ita tibi videtur?

A: Anne putas vermem (vermis=Wurm) a passere (passer=Spatz) captum non cruciari doloribus? Vel musculum (Mäuschen) praedam felis? Vel bovem praedam leonis? Innumerabilia animalia omni puncto temporis, nunc quoque, dum nos hic sermonicamur (plaudern), dies noctesque ad mortem cruciantur.

B: O pulchram creationem, o divinam!

A: Quae impia verba facis? Ceterum puto animalia non ita dolere ut homines. Multo minus dolent homine.

B: Per deum! Unde hanc scientiam sumis? Num putas dolores summos sentire posse tantum eos, qui sciant carmina legere?

A: Mene irrides?

B: Minime. At non ita multo ante vidi musculum in unguibus felis. Vidi musculum doloribus trementem, oculis eius terrore exstantibus capite. Maluissem necare felem, at considerabam me unum tantum musculum posse servare, dum ceteri innumerabiles nihilominus crucientur. Contra leges naturae nihil valemus. Creatio mundi radicitus est error et peccatum.

A: Tunc Christianus es?

B: Baptizatus sum.

A: Nihil ultra?

B: Est aliquid ultra: dico evangelium Christi, quo nihil maius, nihil admirabilius censeo nuntiatum esse hominibus, pugnare cum legibus naturae. Namque leges naturae, i.e. bellum omnium contra omnes, et misericordia, quam docet evangelium, res sibi sunt prorsus contrariae. Cum autem natura opus sit demiurgi, Christus, quem eius filium dicunt esse, a legibus patris defecisse putandus est. Anne misericordiam cernis in bello omnium contra omnes?

A: Considera tamen omni tempore exstitisse homines vere misericordes, viventes secundum evangelium Christi!


B: Quod non dubito, at exceptiones sunt regulam confirmantes. Pauci misericordes quasi sunt hirundines, quae aestatem non faciunt. Naturam, si totam intuēris, opus demiurgi, crudelem et immanem esse apparet.

A: Quae verba aliquando fac sacerdoti!

B: Cavebo. Sed iam sat vini hausimus nec minus fecimus verborum. Abeamus!

Abierunt. Solus in taberna remansi media nocte appropinquante, a me quoque sat vini hausto, sat superque, neque habebam, quod illis responsurus fuisset, si quaesivissent opinionem meam.


Dr. Emanuel Bernard



S O L V T I O N E S

aenigmatis, quod vobis in RVMOR VARIO 9+10/83 proposuimus, hic demonstrantur:

¹ P	² O	³ N	⁴ O
² O	L	U	S
³ N	U	N	C
⁴ O	S	C	I



Duo carmina natalicia

Bethlemae nobis natus....

Zu Bethlehem geboren

Cantus popularis ex Alta Silesia

Bethlemae nobis natus parvus puerulus.
Is est a me delectus, eius sum proprius.
Eia, eia, eius sum proprius.

Totum me dare volo amori eius, ah!
Cor meum ei dabo et mea omnia.
Eia, eia, et mea omnia.

Parve, pectore toto amabo semper te,
Gaudio atque taedio quam possum maxime.
Eia, eia, quam possum maxime.

Velis mi dare gratiam, precor ex anima,
Ut solum tibi vivam, nunc et in saecula.
Eia, eia, nunc et in saecula.


Tinni, campanula, tinni....

Kling Glöckchen, klingeling....

Cantus popularis Germanicus

1. Tinni, campanula, tinni,
Tinni, tinni!
Pandite, parvi, ianua,
Hiems est tam frigida!
Fores reserate!
A gelu me servate!
Tinni, campanula, tinni,
Tinni, tinni!

2. Tinni, campanula, tinni,
Tinni, tinni!
Parvuli, audite,
Cubiclum aperite!
Dona vobis dabo
Vosque recreabo!
Tinni, campanula, tinni,
Tinni, tinni!




3. Tinni, campanula, tinni,
Tinni, tinni!
Candelae lucent clare,
Velitis corda dare!
Ibi colam laete
Pie puer, paete!
Tinni, campanula, tinni,
Tinni, tinni!

Versio Latina: AMICUS

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift



RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Nuntius ad legentes ubique terrarum habitantes


Felicissime accipiam inscriptiones cursuales quam maximas Rumorem Varium legentium Latinitatisque cultorum, qui extra Europam vivunt. Optatissimum enim est mihi scribendi commercium habere et pergere Latino sermone et temporibus nostris cum incolis remotissimorum locorum.

Omnes, qui hunc nuntium legunt idemque desiderium habent, rogo ut mihi respondeant litteris.

Inscriptio cursualis mea est haec:


Prof. Florindo di Monaco
Via Michele Monaco 152

I-81054 San Prisco
Caserta/Italia



SOLVTIONES AENIGMATIS

QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA KALENDIS FEBRVARIIS MCMLXXXIV EST!



Mittite aenigma solutum ad
 adressam infra indicatam: RVMOR VARIVS
 Postfach
 8050 Zürich